

nos geruntur, docentur, suscipiuntur, atro calculo notant, aut omissis reliquis *Doctrinam* saltem aggrediuntur. Nec hic per singula ire animus est, sed feligere saltem alterum genus, quo doctrinam nostram execrantur, omnibus quibus possunt diris & tanquam haeresin pessimam fulmine ferire non verentur. Quid hoc in negotio gestum sit ab adversariis, quibusve contumeliis nostram doctrinam, quam tam non norunt esse coelestem & vere Apostolicam, invaserint, tot loquuntur volumina, quotquot a tempore Reformationis edita fuerunt in lucem, ita ut velut certamen aliquod iniisse viderentur scriptores, quis illorum veritatem a nostris expositam acerbissima perstringeret censura.

## §. IV.

Ut vero eo luculentius constaret, non privatis saltem opinionibus rem geri, sed toti coetui adversariorum, in collectione spectato, eandem mentem sedere; haereticis qui unquam extiterunt, pessimis & profligatissimis, nos accensere illi solent, quod notius est, quam ut probari debeat amplius. Evincit hoc praeter alia documenta bulla Papalis, quae Coenae dominicae dicitur, atque in *Bullario CHERUBINI* T. III. p. 248. legitur, prout a Paulo V. nec non Urbano VIII. amplificata & publicata est. Nam cum olim solum in piratas marinos directa esset, tandem haeretici illis adjuncti, *Gazari*, *Patreni*, *Pauperes de Lugduno*, *Arnaldistae*, *Speronistae*, *Passageni*, *Viclefistae seu Ussitae*, *Fratricelli de opinione nuncupati*, quibus tandem LUTHERUS associatus est, omissis vero reliquis deinceps soli nominati *Ussitae*, *Wiclefiae & Lutherani*, quibus comites additi, *Zwingiani*, *Calvinistae*, *Ligonotti*, *Anabaptistae*, *Trinitarii & omnes ac singuli haeretici &c.* qui anathematis fulmine sic percutiuntur, ut candelae die viridium accensa & de altari dejecta communione illa ex-

clusi